

aperta Israelitarum professio omnes se primitias suas Domino obtulisse, nullâ reservatâ portione pro Iside deâ, serendi arbores colendique agros inventrice, juxta Ægyptios, cujus deâ luctus pro amisso Osiride vernâ messe ineunte recurrebat? Quam in rem nihil se expendisse Hebraei sive in usum sacrificiorum, sive epularum ad cultum mortuî, hæc solenni formulâ profitentur.

Quibus ita se habentibus, facili in eam sententiam descendimus, quæ Beelphegor cum Adonide confundit; eumque quem Moabite Phegor, ipsum eundem credit ac Osiridem Ægyptiorum, Adonidem Phœnicum, Athynam Phrygam, Atyr Syrorum, et Thammas Hebræorum. Quo enim loco habet Vulgata: *Plangentes Thammas*. Quibus enim Phryges Athynam colebant ceremoniis (vide Macrob. Satur., l. 1, c. 21), iisdem et Syri suam Atyr (vide Lucia, de Deâ Syr. et alios), Ægyptii Osiridem, Phœnicos Adonidem. Ita varia hæc nomina juxta paganorum theologiam ad unum Solem referuntur.

Facile etiam deprehendere nobis videmur nominis Phegor sive Peor vestigiâ in deo Oro, ex veteri Ægyptiorum rege in censum nimum translato filio deæ Isidis, cui etiam inditum cognomen Apollo, sive Sol (vide Macrob. loc. cit.). Deus ille, auctore Diodoro Siculo Bibl. l. 4, c. 2), matrem habuit Isidem, quæ post occisum à Titanibus filium, extincti cadaver in aquâ inventum ad vitam revocavit, tum et donavit immortalitate. Ferunt huic Orum regum deorum in Ægypto seriem clausisse. Ex deâ parente artem vaticinandi, tum et curandi morbos dedidit; ex quo Ori nomen longè latè per universum orbem propagatum est. De tanto filio sibi plaudens mater, in inscriptione ab eodem Diodoro relatâ ita de eâ sua prædicat: *Ego sum uxor Osiridis; ego sum prima frugum inventrix; ego sum Ori regis mater.*

En Peor dei Moabitarum origo. *Pe*, sive *Pi* Ægyptii articuli loco positum est; *Or* nomen est dei, cujus funus tum et post funus in vitam revocatio celebratur. Extat etiam ejusdem nominis vestigium in nomine religiosi filius abbatibus *Pior*, et in nomine *Origenis*, quod ex Ægyptiorum consuetudine, nomina sibi deorum imponentium, repetendum est. Nominis *Thammas* noti sunt Ægyptii quidam in historiis (Plato in Phædr. Plutar. de Def. orac.); Tham-

mas autem Adonidem refert. Animadvertione dignum est, apud Herodotum nihil quidem legi de Thammas, sed tantum de *Ammo* (l. 2, c. 45); ex quo facili suspicamur T. sive C. in Chammas et Thammas à radice nominis extraneum esse.

Adoni Hebræis est *Dominus*, quo sanè titulo uxores viros suos compellant, ut Sara Abrahamum (1). Potest ergo Ammus seu Thammas peculiare viri Isidis nomen designare, Adonis verò genericum fuisse nomen, quemadmodum Beelphegor, sive *Baal-Peor*, ut est in hebræo vero Dei nomini *Or*, adjunctum habet *Pe* loco articuli, et *Baal* qui dignitatis titulus est, sonans *Deus*. Ipse autem per contemptum *Mortuus* appellatus est ab Hebræis.

Ad complementum dissertationis addendum aliquid est de cæteris Moabitarum numinibus, quo omnia ad ejus gentis religionem spectantia uno eodemque lucubrations contextu collecta habebamus. Mentio est apud Moysen de *Baalmeon* (Num. 32, 58. Vid. etiam Jos. 15, 17; Exec. 25, 9) urbe in veteri Moabitarum ditone, quam ex vetusto aliquo gentis idolo nomen derivasse sum credimus non inviti. Cùm verò alteram quàm Chamos et Phegor vel Peor numinis apud eas gentes mentio nulla occurrat, hinc facili credimus alterutri ex iis numinibus urbis nomen accepto referendum fuisse. Porro nomen illud sonat: *Commoratio Baal*.

Nabo, alius Moabitarum deus apud Isaiam 46, 1: *Contractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulacra eorum bestis et juvenis*. Septuaginta pro *Nabo* legunt *Dagon*. In urbe *Nabo*, Dei Chamos alio nomine Beelphegor, simulacrum constitutum S. Hieronymus autumnavit (In Isai. 46, l. 5); ex quo facili contigisse poterat, ut de urbis nomine *Deus* appellaretur. Sed ut ingenuè fateamur, sancti viri sententia nullis satis validis fulcitur argumentis; atque Prophetæ oracula de eâ regi Babylonicâ lata, de nomine quodam horum populorum ultra explicanda se offerunt. Porro nomen *Nebo*, vel *Nabo*, aut *Nab*, recurrit in Nabuchodonosor, Nabuzardan, Sengar Nabu, et Nabuzezban (Jer. 59, 45), principibus Babylonicis: deductum verò ex hebræâ etymologiâ sonat Prophetam, Vatem. Hinc facili oraculum quoddam indicat; an idem ac Nabehaz (4 Reg. 17, 31), idolum Hevæorum, quam gentem Sennacherib

(1) Gen. 18, 12. Postquam consensui, et domini meus (hebr., *Adoni*) vetulus est.

è regione Transægyptiâ in Samariidem transtulit. Suspicatur Vossius, in loco Isaiæ Bel et Nabo duo diversa nomina designare, illum nempe Solem, hunc Lunam (De Or. idolol. lib.

2, c. 2). Sed commodè etiam duo illi confundi possunt, ut *Bel* titulus sit atque illi cæterisquodis communi, et *Nabo*, quod oraculum sonat, nomen sit numini peculiare.

DE XLII MANSIONIBUS AUT STATIONIBUS ISRAELITARUM Dissertatio.

Cùm incertè sita sint pleraque loca in quibus Israelitæ per quadraginta sui itineris annos castra posuerunt, ab exitu de Ægypto usque ad eorum introitum in terram promissionis, inde varia surrexerunt systemata. Non hic omnia discutienda suscipimus; de systemate D. Calmet solius sermo erit. Ipse nos monet doctissimus ille interpres in suo commentario, se insudasse illustrandæ huic Scripturarum parti, usque ad dies nostros nimium neglectæ. Hic recolligimus varia commentarii ejus loca ex quibus judicatur rectissimè systemata, multaque insuper annotabimus, seu amplius evolventi causâ systematis, seu illustrandarum gratiâ difficultatum quæ in illo reperiuntur.

Non situs mansionum aut stationum Israelitarum omnes æquè incerti sunt: ex magis cognitis statuuntur quasi fundamenta systemata D. Calmet de Itinerario Israelitarum per desertiam. Distingui possunt sex precipue stationes quæ ad statuendas alias utiles sunt. 1^a Ramesses, quæ prima est; 2^a Sinai, quæ undecima; 3^a Cades-Barne, quæ quinta decima; 4^a Asiongaber, quæ tricesima et secunda; 5^a Cades in deserto Sin, quæ tricesima et tertia; 6^a Campi Moab, qui quadragesima secunda sunt et ultima.

1. Ramesses. — Prima statio Hebræorum fuit Ramesses in Ægypto: hic sese congregaverunt; hinc profecti sunt. Quam urbem D. Calmet inter maximas civitates fuisse existimat terræ Gessen, quæ ipsa etiam appellatur *terra Ramesses*. Regionis Gessen caput erat Ramesses, et in capite XLVII Genesis, versiculo 11, appellatur hæc regio *terra Ramesses*. Josephus ait habitavisse Israel et filios ejus in Heliopoli. Huic opinioni assentire videtur Arabica lingua, in quâ Ramesses dicitur *Fons solis*, quod idem sonat atque Heliopolis, *urbs solis*. Geographus Arabs non aliter illud intelligit.

Porro illa urbs, ait D. Calmet, cæteris fa-

ciè uribus regionis Gessen meridionalior fuerat: quamquam certus ejus situs, silentibus omnibus vetustis monumentis, ignoretur. Non longè tamen à Nilo constitutam, cui præcipue ejusdem regionis urbes omnes proximè accedebant, facili credimus. (De Transfret. Erythr.)

Demonstravit P. Sicard, *Ramessem* esse eundem locum atque *Bessatin*, tribus leucis distantem ab urbe *le vieux Caire*, ad orientem Nili et ad occidentem Erythraei in 50^o gradu latitudinis et 49^o longitudinis, ut ferunt nova observationes.

2. Sochoth. — Ex *Ramesse*, castrametati sunt Israelitæ *Sochoth* vel *Sochoth*, in secundâ statione.

Satis constat hodiè *Sochoth* idem esse ac campum *Candeli*, ad occidentem Erythraei, habentem ad occidentem *Ramessem*, ad orientem *Etham*.

3. *Etham*. — Ex *Sochoth* Israelitæ venerunt *Etham*, tertiam stationem, locum, ut ait Moyses, in extremis finibus solitudinis; in extrema scilicet, dicit D. Calmet, orâ deserti Arabiam Petream et Ægyptum interjacentis, quam sanè vastissimum esse solitudinem geographi omnes conveniunt.

Etham idem est atque campus *Ramlio* ad occidentem maris Rubri, habentem *Sochoth* ad occidentem, et mare *Rubrum* ad orientem.

4. *Beelsephon*. — Ex *Etham* ventum est in conspectu Philahiroth, quæ est inter *Magdalum* et mare, contra *Beelsephon*. Castra tamen, ait D. Calmet, eo loco non Israelitæ quidem, sed Pharaonem habuisse legimus in Exodo. Castellum autem *Beelsephon*, Josephus ait quartâ statio, in conspectu Philahiroth et ex adverso *Magdali* aut *Migdoli*, ut satis patet ex libro *Numerorum*. Quare Pharaonis castra ad Philahiroth, Israelitarum verò ad *Beelsephon* constitimus, quemadmodum et *Migdol* ad septentrionem *Hiroth* et *Beelse-*

phon collocamus, ut proinde urbs Beel-sephon hinc haberet mare ad orientem, Hiroth ad occidentalem plagam, et Magdalum ad septentrionalem.

Hic referemus commentaria D. Calmet de situ horum trium locorum, Philahiroth, Magdali, Beel-sephon: Philahiroth, inquit, sive tantum Hiroth, ut in libro Numerorum et apud Eusebium et sanctum Hieronymum appellatur, situm habet variis diversorum conjecturis incertum. In commentario nostro sententiam quorundam adduximus, qui confundendam censent cum urbe Heroum ad extremam oram sinus Arabici, apud veteres geographos notissimam, quemadmodum et aliorum sententiam laudavimus, qui ipsissimam credunt cum Phagriorioli, metropoli regionis ejusdem nominis, et in eadem ac superior urbs plagam sita.... E regione ejus urbis vasta porrigitur via ad Rubrum mare; ex pluribus autem itinerariis constat ab extrema maris orâ hinc ad eum locum, nullam patere viam exercitibus deducendo, ut proinde facili Israelitae eò loci mare transâsse credendi sint. Beel-sephon sita est ad Clysmâ apud Eusebium in locis; in versione sua S. Hieronymus nomen Clysmâ omittit: eam vocem in textu Eusebii redundare autumat Bonfrerius, nec illam planè assensum sunt operum S. Hieronymi recentissimè editores. Cum tamen recepta apud antiquos traditio ferat, Hebraeos ad Clysmâ Erythraeum transfrâsse, certum ejusdem loci situm operae pretium erit investigare. Eusebius ad Erythraeum collocat: ubi verò potissimum, sicut S. Athanasius in Arabia, in plagâ scilicet Erythrae occidentalis, quam veteres non raro Arabiae nomine appellant, ut R. P. Montfaucôn con ejusdem sancti doctoris mentem sciit interpretatus demonstrat. Rubrum mare ita describit Philostorgius: *In duos sinus dividitur, quorum unus desinit in Clysmâ, unde et nomen sortitur; altera verò pars in urbe Elim. Ad Clysmâ Israelitae sicco pede aquas transiunt.* Sanct. Gregorio Turonensi Clysmâ urbs est ad eundem locum, nempe ad extremam oram sinus Suez. Cosmas, Aegyptius monachus, transfrâsse Hebraeos ad Clysmâ testatur, cujus rei fidem, ait, vestigia currum et rotarum intra alveum longius excurrunt, quae adhuc manent, apertissimè confirmant; porro locus iste euntibus ad Sinai dexter occurrit. Exactè ille quidem, sed exactior in designandâ plagâ ejusdem maris ulteriori vel anteriori desideraretur. In tabulis Peutingeri

ad litus occidentale sinus illius pertinet, sed apud Ptolemaeum, itinerarium Antonini et optimas tabulas geographicas, plagam occidentalem sinus Arabici inter Suez et Crondel tenet. Ipsissima esse creditur cum Colzama ex quâ orae occidentalis maris Rubri nomen inditum; quin et mare ipsunt hodiè Bahar et Colsum appellatur. Thevenot ad extremam oram realis Erythraei sinus Clysmâ collocat; additque insuper se quindecim solidis diebus per litus ejus freti iter habentem ad montem Sinai, nunquam tamen ampliore alvei sinum quam octo vel novem miliarium observasse. Monasterium S. Antonii hodiè usque ad Clysmâ visitur. Transfrâterunt igitur Hebraei unâ vel dimidiâ leuca infra extremam Erythraei oram multò supra Tor ad vadum Crondel, quem locum alii Israelitis mare transigentibus assignant (1).

(1) Consultandi sunt de situ Clysmatis doctissimi libri: *Memoranda geographica et historica de Aegypto*, à D. Stephano Quatremère. (Lutetiae 1811, lib. 1, pag. 151 et seq.) Apparet in primis Ecclesiae aetatibus transfratationis Israelitarum locum ad extremam fermè oram maris Rubri assignatum fuisse. Hinc sententiae concors est Niebuhr. Verisimiliter inquit, Israelitae aliquot leucis ab Heliopoli congregati fuerunt, in loco quem Moyses vocat Ramessem, in viâ quae ducit ad mare Rubrum, sive proximè ad Birket-el-Hadji, sive alibi, ut se aquâ muniret itineri necessaria: Moyses ait Exod. 15, v. 17 et 18: *NON EOS DUXIT DEUS PER VIAM TERRE PHILISTIN QUAE VICINA EST, SED CIRCUDUXIT PER VIAM DESERTI QUAE EST JUXTA MARE RUBRUM.* Israelitae autem non mentis dum ipsi pede sicco transfratandum mare Rubrum jussurum esse, ut præsumentum est, duobus primis diebus viam secuti sunt quae ad extremitatem maris Rubri pergit directè. Hanc viam sequuntur et hodiè omnes viatorum manus quae de urbe Cairo ad montem Sinai et ad Meccam peregrinantur; tunc enim temporis ut et hodiè trita erat, propter maximum quod inter Arabes et Aegyptios mutabatur commercium. Magna viatorum cohors, si festinat, hanc tribus solidis diebus superare potest. Ex Birket-el-Hadji ad Suez, de numero recessis horis otii, incessimus per 28 horas et 40 minuta. Etham, me sententiae, est Adjeroud, aut ipsi proxima fuit; nam in hac aere aqua invenitur, et dici potest sita in extremis finibus solitudinis, si ex occidente veneris, aut sita in primis finibus solitudinis, si ex Suez petatur Le Cairo. Apparet etiam omnem regionem quae ad extremam oram sinus Arabici explicatur, nomen accepisse Etham, siquidem, Moyses, in Numeris 55, 8, dicit Israelitas ABELASSE TRIBUS DIEBUS PER DESERTUM, mari transfratato.

Quod subjacet Suez fretum videtur primo aspectu luminis speciem referre, si id confectas cum maximo mari quod et adiacet. Ideoque minus est quam ut Deus id elegerit illustrandè gratiâ potestatis suae. Ideo primo credideram

Porrò visa olim ad Clysmâ vestigia currum et rotarum fragmenta Paulus Orosius, Gregorius Turonensis et Cosmas monachus supra laudatus testantur. Sua enim aetate mansisse rotarum vestigia non in litore tantum, sed in imo quoque pelagi fundo, quantum oculis persequi posset, scribit Orosius: Si quis autem, ait, curiositate aliquâ, sive aliâ quâcumque causâ arenam turbasset, vestigia tamen illa continuo ventis fluctibusque reparabantur. Paria certissimorum testimonium fide, Gregorius Turonensis refert. Quare, etsi fidem superare res illa videatur, sive tales tamen tantosque scriptores ac testes, temerè proors rejiceretur. Eam opinionem confirmat quod ex plurium oculatorum testimonio relatione compertum est, solum nimirum ejus orae facili corporibus quibuscumque crustam lapideam inducere, ut non rari occurrant arbores, cymbae, angues, et fructus, cadavera, in lapidem rigescientia. An forte idem contigi ruderibus currum Pharaonis, quae scilicet in lapidem solidata ad quintum et sextum seculum rei gestae monumenta servare poterunt?

Haec senta D. Calmet verba: sed demonstrare aggressus est P. Sicard, Beel-sephon debuisse ad septentrionem, Magdalum ad meridiem, Philahiroth inter Magdalum et mare, situm occupare, et Israelitas profectos è loco appellato *Theuaires*, sito contra veterem Philahiroth, id est, in radicibus montis *Eutaqua*, qui ipsissimus videtur cum *Beel-sephon*.

Illius Israel transfrâsse mare Rubrum ad meridiem Suez, aliquot abhinc leucis; sed cum mensus fuerim freti latitudinem propè hanc urbem, id largum agnovi 1543 passuum, vel 3,400 pedibus; se latius adhuc ad septentrionalem oram porrigit; opinioem ergo emendavi. Si Israelitae transfrâterunt ad Colsum (Clysmâ), signum longè minus stupendum elatum esset quam transantibus propè Bedea. Sed errant qui sine miraculo hanc multitudinem transisse contendunt: nulla enim etiam hodiè viatorum manus ibi transfrat, ut petat à Cairo montem Sinai, quod tamen viam multò breviorè efficeret. Res ex naturâ locorum longè magis ardua fuisset Israelitis, aliquot millibus annis nobis anterioribus, cum verisimile sit fretum latius fuisse, altius, et ad septentrionem porrectius. Nam, ut apparet, aquae recesserunt, et agglomerationis arenis proximè solitudinis, inus angulis exereverit. (*Descriptio Arabiae*, Parisius, 1779, t. 2, p. 186.)

De contracto alveo maris Erythraei, legenda sunt causae quibus sententia Niebuhr ut probabilis confirmatur in *Memorandis de Aegypto* 1. 4, p. 218 et sequentibus.

5. Mara.—Israelitae, transfratato mari, ambulaverunt tribus diebus per desertum et castrametati sunt Mara, quintâ statione. Quod peragraverunt desertum Israelitae, superato mari ex Erythraeo ad Mara, appellatur in Exodo DESERTUM SUR, in Numeris DESERTUM ETHAM. D. Calmet putat desertum Etham nomen accepisse ab urbe Etham, quam sitam indicat juxta angulum maris Erythraei ad septentrionem; et existimat desertum Sur affine esse solitudini Etham. Sed etiam non distinctis duabus solitudinibus, desertum Sur tomen dici potest nomen accepisse desertum Etham, quâ voce hebraicè significatur solitudo arenis suis aspera. D. Calmet spatium hoc desertum contendit in isthmo qui interest Erythraeo et Mediterraneo mari. Israelitarum ex itinere probatio exoriri videtur hoc desertum saltem probari ad triduum aut quadriduum secundum orientalem plagam Erythraei; quandoquidem Israelitae, transfratato mari Rubri, triduo in deserto ambulaverunt, procedentes in Sinai, qui mons ad meridiem stabat.

Situs verò Mara et aliarum stationum usque ad montem Sinai subsequentium determinatur hujusce montis ritu; cum enim mons ille, in loco ubi Israelitae mare Rubrum transierunt, vergeret ad meridiem, consequitur à transitu maris rubri usque ad castrorum metationem Sinai iter Israelitarum à septentrione ad meridiem fuisse. Tantum post tres dies itineris in deserto Sur Israelitae Mara attigerunt. Igitur Mara distabat tres dies itineris ad meridiem à loco ubi mare Rubrum transierunt Israelitae. Apud Mara Moyses aquas edulcoravit, propter quarum amaritudinem appellatus fuerat hic locus Mara, quod in lingua hebraicè significat amaritudinem. Hujusce regionis traditio collocat, inquit D. Calmet, aquas Mara versus viginti vel viginti quinque leucas Suez, descendenti ad Tor circa dimidium itineris Suez ad Sinai. Multi asseverant illas aquas adhuc esse poculentes, sicut ex tempore rursus comparaverit acrimonium haud omnino jucundam, partam magna quantitate nitri cujus plena est terra. (Et alibi, superaddit D. Calmet, fontem Mara collocamus circa viginti leucas infra promontorium maris Rubri, ad meridiem.)

6. Elim.—Ex Mara Israelitae venerunt Elim, in sextam stationem. Ibi erant, dicit Moyses, duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmae. Si liceret, dicit D. Calmet, popularibus traditio-

bus Arabum confidere, hanc stationem possemus statuere et locum illarum palmarum quae secundum aliquos viatores crescent non procul à mari Rubro; de hoc autem nihil dicere praestat, quam verba sine auctoritate afferre. Sylvam palmarum in his locis Strabo indicat circa quinque dies à Jericho distantem. Haec sylvia in omni regione sacra est propter multos fontes aquarum, licet alia regionis confinia sicca sint et sterilia. Diis haec sylvia dicata est; illius sunt custodes vir et mulier. Ille locantur palmae Elim. Si in distantia à Strabone indicata nullus est numeri error, sylvia quam ille Strabo collocat circa quinque dies à Jericho, dissimilis esse debet palmarum Elim, quae versis mare Rubrum probabiliter erant distantes à Jericho circa decem dies.

7. Mare Rubrum. — Elim exierunt Israelitae ad castrametandum prope mare Rubrum, in septima statione. Haec castrorum metatio in Exodo non indicatur, sed tantum in libro Numerorum; inter Elim et desertum Sin esse debebat ad septentrionem Sinai.

8. Sin. — Ex hac enim castrorum metatione prope mare Rubrum Israelitae venerunt ad desertum Sin, in octavam stationem; et secundum Moysi testimonium inter Elim et Sinai situm erat hoc desertum. Non permiscendum est hoc desertum Sin, םׁן, cum deserto Tsui, םׁן, prope Cades-Barne, de quo mentio fiet in tricesima tertia statione.

9. Daphea. — Ex Sin Israelitae Daphea venerunt, in nonam stationem, de qua Moyses in Exodo non loquitur; indicata est in libro Numerorum. Legimus Raphaca in interpretatione Septuaginta. Eusebius Raphaca ipse scribit in suo libro Locorum Hebraeorum.

10. Alus. — Ex Daphea venerunt Alus Israelitae in decimam stationem. Has castrorum metationes in Exodo Moyses non indicavit, quia, ut verisimile est, dicit D. Calmet, Israelitae erant in deserto Sin, de quo Moyses mentionem fecit, et illic nihil singulare acciderat. Cognoscuntur in Petrà Arabia, addit D. Calmet, Alus et Elisa vel Lusa. Sunt qui illas urbes esse duas asserunt. Altera ex duobus edificata est, vel prima tantum in aedificata à Chanaan ex Bethel tempore iudicum.

11. Raphidim. — Ex Alus venerunt Israelitae Raphidim, in undecimam stationem. Probabiliter hic locus procul non erat à monte Horeb ex quo Deus extraxit aquam rupis ad restinguendam sitim populi qui aqua carebat in Raphidim. Mons Horeb situs est, dicit D. Calmet, in Petrà Ara-

bia et quam proximè montem Sinai. Mons ille Sinai est ad orientem Horeb, ita ut Horeb, sole oriente, umbrà Sinai omnino operiatur. Aliqui viatores asserunt fontem, quem ex rupe Moyses extraxit, nunc adhuc fluere, et hoc fonte fovecundari agros sub ipsis huiusce montis radicibus positos; alii verò affirmant aquam nunc ex illa rupe non fluere. Manent tantum parva vestigia aquae quae olim ex illa rupe diffusa est per duodecim ora deorsum aperta alterum super alterum spatio aequali. Haec rupes de qua nobis mentio fit distat circa semi leucam à Sinai. Sunt autem in Horeb alii fontes, ex quibus duo tresve pulcherrimi, necnon arbores fructiferae in illius vertice vernantes.

12. Sinai. — Tandem è Raphidim Israelitae venerunt ad desertum Sinai, in duodecimam stationem, quae proficit ad determinandas stationes praecedentes ex transitu maris Rubri et stationes quae subsequenter usque ad Cades-Barne. Mons Sinai in Petrà Arabia erat ad recessum existentem inter sinum Heroopolitam, qui versus Elath et Asiongaber extendebatur. Spectabat ad occidentem montem Horeb, et ad Aetiam parvè distantia Asiongaber. Secundum recentes observationes mons Sinai situs est sub 28° gradu 50' latitudinis, et 51° 45' longitudinis.

13. Sepulera Concupiscentiae. — È Sinai venerunt Israelitae ad locum postea vocatum Kibroth-Hatthava, scilicet Sepulera Concupiscentiae, in tredecimam stationem. Ex Moysè cognoscimus Israelitas per tres dies iter fecisse priusquam pervenerint ad Sepulera Concupiscentiae; et in hoc itinere, probabiliter, dicit D. Calmet, castrametati sunt in loco qui Conflagratio vocatus fuit, de quo loquitur Moyses priusquam narret illorum stationem ad Sepulera Concupiscentiae. « Non aggredimur, superest addit, determinare loca illarum stationum: hoc esset impossibilia moliri. » Atamen haec animadvertemus: si illae stationes sitae erant in via quam secuti erant Israelitae euntes à Sinai ad Cades-Barne ad septentrionem positum comparatè Sinai, sine dubio illae stationes ad septentrionem Sinai et ad meridiem Cades-Barne esse debebant; illis hanc etiam positionem dat D. Calmet in sua tabulà geographica.

Animadvertit Moyses, Israelitis è monte Sinai profectis, nubem illorum ducem, quae sistens locum indicabat ubi consistere ipsi debebant, reambulante in solitudine Pharan; inde concludit D. Calmet castrorum metationem apud Sepulera Concupiscentiae probabiliter fuisse in

solitudine Pharan. Alibi animadvertit Pharan nomen esse aliquot montium in circuitu Sinai, et indicare magna rura infra illos montes, scilicet ad septentrionem descendenti ad Mediterraneum mare.

Israelitis è Sinai venientibus ad Sepulera Concupiscentiae, orta est ex populo querela in Dominum, illisque Dominus ignem immisit qui extrema castra devoravit. Locus ubi haec acciderunt, vocatus fuit Thab-era, scilicet Conflagratio. Putat sanctus Hieronymus hunc locum esse eundem qui postea vocatus fuit Sepulera Concupiscentiae. « Cur autem, dicit D. Calmet, illas duas stationes permiscere? Statio Conflagrationis in lingua hebraica vocatur Thab-era, et statio Sepulcorum Concupiscentiae in lingua hebraica vocatur Kibroth Hatthava. » Vel potius, secundum nostram sententiam, licet distinguere illa duo loca, nec cogimur dicere primum stationis locum fuisse sicut secundum. Pro certo saltem habemus locum Thab-era vocatum non adscribendum esse in numero quadraginta duarum stationum cujus tredecima est illa quae vocata fuit Sepulera Concupiscentiae. Sic vocatus est ille locus propter multitudinem Israelitarum qui illic perierunt et sepulti sunt postquam carnem manducaverunt quae exsatiari cupiverant.

14. Hazeroth. — Ex sepulcris Concupiscentiae proficiscentes Israelitae venerunt Hazeroth, in quartam decimam stationem. Secundum D. Calmet, prope Cades-Barne hic locus situs esse debebat. « Putamus, superaddit, hunc locum eundem esse ac Hazerim, vel, sicut legitur in Septuaginta, Hazeroth, sedem Hebraeorum qui hinc extendebantur usque ad Gaza. Illa vox hebraica הַזְרוֹת, vel הַזְרִים, pagos et vicos significat non moenibus septos, praesertim vicos populorum Arabiae, sicut ex multis Scripturae locis apparet. Si proprius exigitur locus vocatus הַזְרוֹת singulariter, הַזְרוֹת pluraliter, licet adscribere הַזְרוֹת maxime conspicuum inter cunctas urbes omnis regionis terrae meridianae Chanaan. Pone Josue הַזְרוֹת et Cades sicut vicinas. Aliter vocatur Hlesron illa urbs: quae quidem tribui Iudae data est. »

Hic multa loca dissimilia D. Calmet permiscere videtur. Urbem Asor junctam Cades Josue secernit ab illa alià urbe quae vocatur Asor vel Carioth-Hlesron. Et illae duae urbes Asor sitae in tribu Iudà dissimillimae sunt huiusce aliae urbis potentis quae Asor etiam vocatur, et ad meridiem non sita erat, sed ad septentrionem terrae Chanaan in partitione Nephthali. Caeterum

reliqua ostendunt Israelitas non venisse in Cades-Barne, nisi postquam ex Hazeroth venissent in Rethma, quae fuit quinta decima statio: quae de re concludimus Hazeroth et Rethma fuisse in via quae ex Sinai tendebat ad Cades-Barne, et sic Hazeroth non fuisse in finibus regionis Chanaan, sed in medio deserti Arabiae ad septentrionem Sinai et Sepulcorum Concupiscentiae, et ad meridiem Rethma et Cades-Barne.

15. Rethma. — Ex Hazeroth igitur Israelitae Rethma venerunt, in quintam decimam stationem; vel potius, in capite XIII libri Numerorum Moyses tantum dicit Israelitas profectos ex Hazeroth fuisse castrametatos in solitudine Pharan; et nobis dat subaudiendum hinc Moysen jussu Domini duodecim misisse legatos qui regionem Chanaan explorarent. Sed in capite XXXIII expressè dicit Israelitas profectos ex Hazeroth venisse castrametatum in Rethma, et in Deuteronomio legimus ex Cades-Barne missos fuisse duodecim legatos. Rethma igitur esse debebat in solitudine Pharan, prope Cades-Barne quò paulo post venerunt. Quin etiam Barradus affirmat Rethma fuisse nomen huiusce partis solitudinis Pharan, ubi erat Cades-Barne; sed illas duas mansiones secernere, nullam afferit difficultatem. In capite XIII libri Numerorum textus samaritanus inserit locum satis longum, extractum, ut verisimile est, capite 1, v. 20, 21 et 22 Deuteronomii, in quo narrat Moyses se in statione Cades-Barne, in finibus regionis Chanaan dixisse Israelitis, illos in hanc regionem posse introire, et hanc terram occupare quam Deus illis pollicitus erat: superaddit deinde, populum ad se venientem petisse ut prius mitterentur aliquot ex illis qui naturam, qualitatem, opes regionis expenderent, et scirent facillimos aditus, et urbem cui inherere oporteret. Omnia haec singula, nec in textu hebraico libri Numerorum, nec in interpretatione Septuaginta reperuntur. Recensio quadraginta duarum mansionum à Moysè relata in capite XXXIII de Cades-Barne nullam habet ipsa mentionem; atamen, ut animadvertitur à D. Calmet, post stationem Sinai illa statio maxime conspicua est; nonne librarii hoc omisso esset? Nonne Moyses dixisset Israelitas venisse ex Hazeroth in Rethma, et ex Rethma in Cades-Barne? In Deuteronomio dicit Moyses Israelitas Cades-Barne diu commoratos fuisse. Reperitur adhuc huiusce stationis vestigium in libro ipso Numerorum in quo dicitur legatos redisse ad Moysen ad Cades in solitudine Pharan.

Haec solitudo Pharan ubi Cades erat dissi-

millis esse debet solitudinem de qua mentionem fecimus, et quae vergebat ad Sinai; nobis enim Moyses describens Israelitarum iter ex Sinai usque Cades, illos è Sina deducit *ad solitudinem Pharan*, ex solitudine Pharan ad Hazeroth et ex Hazeroth *ad solitudinem Pharan*, ubi erat Cades.

Locus Rethma vocatus in solitudine Pharan prope Cades in nullo aliorum librorum Scripturae reperitur. Interpretatio Septuaginta fert Rathama. Hanc vocem Aquila *juniperum* traducit. Haec est vocis hebraica significatio sicut animadvertit D. Calmet. Hae voce Symmachus locum operum, *umbraculum* intelligit.

Vera autem positio Cades-Barne vulgo collocatur, dicit D. Calmet, ferè spatio aequali à mari Salso et à mari Mediterraneo. Cum autem textus Chaldaicus hanc urbem semper Recem vocat, quae est eadem ac Petra prima urbium Petrae Arabiae, cumque nobis affirmet Eusebius hanc urbem Cades-Barne junctam, scilicet proximam esse Petrae, propius ad mare Salsum admoveendam esse putamus, et in regione vel in finibus Edom collocandam non procul à clivo Scorpionum. Urbem Petram collocat Strabo tribus vel quatuor diebus à Jericho; Pliinius verò ab urbe Gaza centum et triginta quinque millibus passuum, et à sinu Persico sexcentis millibus passuum.

Ex ipsis verò distantis consequitur Petram, caput urbium Arabiae, probabiliter à mari Salso fuisse longo spatio distantem, sive ad orientem, sive ad meridiem, et reipsa à Cades-Barne tam longo spatio fuisse distantem. Hanc urbem inde concludimus omnino fuisse dissimilem loci qui Petra vocatur, quem Eusebius prope Cades-Barne collocat. Prope Cades-Barne putamus probabiliter fuisse locum in finibus Chanaan Petram vocatum, ejus nomen cum nomine Petrae, primae urbium Arabiae, permixtum fuerit. Hunc locum Petram vocatum in finibus Chanaan situm putamus eum esse de quo mentio fit in libro Judicum et in libro quarto Regum; et sententiam communem antepionius quae quidem Cades-Barne collocat ferè spatio aequali à mari Salso et à mari Mediterraneo, scilicet 51° 15' latitudinis, 52° 45' longitudinis.

Cades-Barne positio proficit ad stationes determinandas ex statione Sinai antecedentes, et etiam proficit ad determinandas stationes quae sequuntur usque ad Moseroth prope montem Hor, qui, ut videbitur infra, ad austrum orientalem parvo spatio debet à Cades esse remotus; unde consequitur Israelitas à Cades

proficiscentes ad occidentem circuitum fecisse qui quidem illos ad montem Hor prope Cades reduxit. Hoc quoque supponit D. Calmet parvâ tamen cum differentia quam nunc exposuimus sumus.

16. Remmon-Phares. — E Rethma prope Cades-Barne, vel potius è Cades-Barne prope Rethma Israelitae venerunt Remmon-Phares, in decimam sextam stationem. Ignotus est ille locus. A Moysè autem audimus Israelitas è Cades-Barne exeuntes in desertum rediisse per viam quae ad mare Rubrum ducit, secundum jussum quem à Domino acceperat: *Revertimini in solitudinem per viam maris Rubri*. Porro mare Rubrum ad meridiem occidentalem Cades-Barne extendebatur; Israelitas igitur credere licet è Cades-Barne exeuntes iter fecisse ad occidentem, et sic Remmon-Phares profecti sitam fuisse ad occidentem Cades-Barne.

17. Lebna. — E Remmon-Phares Israelitae venerunt Lebna, in decimam septimam stationem. Saepè mentionem facit Scriptura de urbe hujusce nominis quae in parte meridionali tribus Juda sita erat. Hanc urbem Eusebius et sanctus Hieronymus in circuitu Eleutheropolis collocant; nos autem putamus, dicit D. Calmet, ad meridiem hanc fuisse magis porrectam. Illa urbs oppidum erat munitissimum, cum illam Sennacherib obsessam tenuerit. Nullam videmus difficultatem, pergit, dicendo Hebraeos in circuitu hujusce urbis castrametatos fuisse, cum Moyses nobis ipse dicat Israelitas diu versasse circum montes Seir, dique inspersisse aliarum vicinarum stationum positionem. Inter Cades-Barne et Gaza sita erat Lebna, ut legitur in Josue. Hoc induxit D. Calmet ad collocandum Remmon-Phares inter Lebna ad septentrionem, et Rethma ad meridiem. Probat autem idem Josue textus à D. Calmet citatus Lebna urbem fuisse Chananaeorum, et urbem regionis; quod locum potest probere dubitandi ac castra metati fuerint Israelitae in circuitu hujusce urbis; nam à Domino in desertum jussi fuerant redire ut à Chananaeis discederent. Ferè igitur incredibile est nubem quae Israelitarum iter dirigebat, illos tum versus Chananaeos deduxisse. Locus est credendi potius, quemadmodum Remmon-Phares ad occidentem Cades-Barne probabiliter fuisse, ita locum Lebna vocatum de quo hic mentio fit profecti fuisse ad occidentem Remmon-Phares, scilicet in viâ quae extendi poterat è Cades-Barne ad mare Rubrum; cum hanc viam illis calcandam Deus jussisset: *Revertimini in solitudinem per viam*

maris Rubri; tunc dicendum erit hunc locum Lebna vocatum, in deserto Arabiae dissimilem esse debuisse urbis Lebnae in terrâ Chanaan site.

18. Ressa. — E Lebna Israelitae venerunt Ressa, in decimam octavam stationem. Nusquam Scripturae reperitur hic locus: itaque illius positionem determinare difficile est. In Arabia reperiantur Gerssa et Caphar-Orsa quae pariter Ressa congruunt. Putat Grotius Caphar-Orsa nomen deducere ex Caphthorims qui terram occupaverunt ab Hazerim vel Hazeroth usque ad Gaza. Dicit Josephus Antigenon, postquam Massada obsidione liberavisset, invasisse castellum Ressa. In vitâ sancti Hilarionis legitur hunc sanctum ad christianam fidem deduxisse omnem urbem Ressa, sitam inter Gaza et Cades. Loquitur Thevenot de urbe Rische vel Riche in viâ Aegypti ad Gaza. Hactenus D. Calmet, qui supponit Ressam fuisse prope fines regionis Chanaan ad meridiem illustris urbis Lebna, et ad occidentem Cades-Barne. Nos verò putamus hanc stationem probabiliter à finibus regionalis Chanaan fuisse remotam, et magis ad occidentem Cades, sed ita ut simul esse potuerit in viâ Aegypti ad Gaza.

19. Ceelatha. — E Ressa venerunt Israelitae Ceelatha, in decimam nonam stationem. Hic locus nobis est omnino ignotus, dicit D. Calmet, nisi idem sit ac Ceila, de quo saepe mentio fit in libris Regum; illa verò urbs in regione nimium prona extendebatur. Hanc Eusebius collocat ad orientem Eleutheropolis eundo ad Hebron. Adde licet vocem hebraicam alterius ex duobus parum congruere alterius nomini. Ipsa autem positio Ceila in regione Chanaan sufficit ad probandum Ceila dissimilem esse Ceelatha, quae profecti in terrâ Chanaan sita non erat. Ilam D. Calmet collocat in finibus ad septentrionem Ressa, at ad occidentem urbis illustris Lebna. Nos autem putamus Ceelatha ab illa positione longo spatio fuisse remotam; illam libentius collocaremus ad occidentem Ressa flectendo ad meridiem, et semper sequendo viam Moysi praescriptam, scilicet viam quae è Cades-Barne ducebat ad mare Rubrum.

20. Jepheth. — E Ceelatha Israelitae venerunt ad montem Jepheth, in vigesimam stationem. Hunc montem non cognoscimus, dicit D. Calmet, de illo nusquam Scripturae mentionem facit. Libenter crederem (addit idem) Cariath-Sepher, vel urbem Sepher super hunc montem sitam fuisse, si differentia non existeret in modo quo scribuntur in textu hebraico

« duo haec nomina. » Ceterum autem in terrâ Chanaan erat Cariath-Sepher, et mons Sepher de quo hic mentio fit in hac terrâ profecti non erat. Hunc montem prope fines regionis Chanaan D. Calmet collocat: nos autem putamus illum montem in medio solitudinis Arabiae, forsân ad meridiem Ceelatha; nam postquam iter fecerunt Israelitae ex Cades ad occidentem, ad meridiem progredi deberunt quo penitus intrarent in solitudinem, secundum jussum Domini: *Revertimini in solitudinem*.

21. Arada. — E monte Sepher Israelitae venerunt Arada, in unam et vigesimam stationem. Putamus, dicit D. Calmet, Arada eandem esse ac Addar. Nobis Josue de Addar loquitur, cum regionis Chanaan describitur: « mites meridianos. Dicitur lineam quae illic hanc regionem Arabiâ separât, transire per Sina, Cades-Barne, Ebron, Addar, et Carcaa. Sic ferè hanc lineam describit Moyses. Ex elivo Acrabim, vel Scorpionis, per Cades-Barne, Addar, Assenna transit. Alibi Josue vocat Heber urbem hic vocatam Arada, et prope Lebna illam collocat. Ilam credo, eandem esse quae vocatur in Genesi Barad. Dicit Moyses potum Viventis et Videntis esse inter Cades et Barad. Israelitas rex Arad aggressus est, illoque persecutus est usque ad Horma, cum rursus in solitudinem Cades ipsi venerunt. Prope solitudinem Cades Eusebius Arad collocat viginti millibus passuum ab Hebron, et quatuor millibus passuum à Malatis aut Malata quae probabiliter eandem est ac Maceleth, quo castrametati venerunt Israelitae exeuntes de Arada. » Haec est D. Calmet sententia, quae quidem illi dedit locum adstruendi Israelitas per integrum iter tenuisse oras terrae Chanaan ex Cades-Barne usque ad Arada. Animadvertimus autem Israelitas Cades-Barne exeuntes debuisse digredi à terrâ Chanaan, ut intrarent in solitudinem per viam quae ex Cades-Barne ducebat ad mare Rubrum, et nobis impossibile est credere illos tam citò ad hanc regionem propius accessisse, praesertim ut irent castrametati prope urbem à Chananaeis occupatam, et tunc forsân primam urbium hujusce regionis, sicut erat cum rursus ad Cades venerunt; ceterum Arada, Arad, et Addar in lingua hebraica dissimiliter scribuntur, et nobis maxime dubium est hoc esse nomen unius et ejusdem loci: libentius putamus locum hic Arada vocatum in medio solitudinis Arabiae fuisse forsân ad meridiem montis Sepher: *nomine enim verisimile videtur Israelitas eò magis*

in solitudinem se abstrusisse quò magis progrediebantur.

22. Maceloth. — Ex Aradà venerunt Israelitæ Maceloth, in secundam et vigesimam stationem. Hoc nomen in Scripturâ nusquam alibi apparet; sed Eusebius et sanctus Hieronymus sæpè loquuntur de Malatis aut Malata, quæ quatuor millibus passuum ab Arad, et viginti millibus ab Hebron sita erat. « Hanc urbem credo, dicit D. Calmet, eandem esse quæ vocatur in Josue Malada, et tribui Juda adscribitur, et forsitan etiam eandem ac Maliata Ptolemæi. » Nobis maximè dubium videtur Maceloth eundem fuisse locum ac Molada. Parva est in lingua hebraicâ similitudo inter hæc duo nomina, neque apparet Israelitis accessisse usque ad urbem quæ in terrâ Chanaan esse debebat. Maceloth in solitudine Arabiæ potius collocaremus; poterat ad meridiem Arada sita esse.

23. Thahath. — E Maceloth Israelitæ venerunt in Thahath, tertiam et vigesimam stationem. Fatetur D. Calmet se hujusce loci positionem ignorare; sed illius in suâ tabulâ geographica positionem determinat et duarum stationum sequentium positionem Hesmona, quæ sextæ et vigesimæ stationis locus fuit, supponensque Hesmona fuisse ad meridiem Arada, collocat Thahath ad septentrionem Hesmona, et ad meridiem Arada, in finibus Arabiæ. Nos verò supponimus Thahath fuisse in solitudine Arabiæ forsân ad meridiem Maceloth.

24. Thare. — E Thahath Israelitæ venerunt Thare, in quartam et vigesimam stationem. Fatetur adhuc D. Calmet hunc locum esse ignotum; tantum animadvertit Ptolemæum de Cleitarro mentionem facere in hæc regione, scilicet in Arabiâ. Positione Hesmona determinat adhuc D. Calmet positionem Thare quam in oris Arabiæ collocat. Hunc locum supponimus in Arabiâ ipsâ fuisse, forsân ad meridiem vel ad occidentem Thahath, scilicet in viâ quæ poterat ad Asiongaber Israelitis reducere.

25. Methca. — E Thare Israelitæ venerunt Methca, in quintam et vigesimam stationem. « Nonne hæc, dicit D. Calmet, esset Moca urbs Petrææ Arabiæ numismate Antonini Pii cognita? » Methca in oris Arabiæ D. Calmet collocat propè Hesmona, de quâ modò loquenti sumus. Nos verò supponimus hanc urbem fuisse sitam in Arabiâ ipsâ forsân ad meridiem Thare.

26. Hesmona. — E Methca venerunt Israelitæ Hesmona, in sextam et vigesimam stationem. « Hæc urbs, dicit D. Calmet, non nisi est

« Egypti et tribus Juda, et sita in hujusce tribus parte maximè meridiana. Hanc Moyses vocat Asemona in capite 34, et sub hoc nomine magis in Scripturâ cognoscitur. » Asemona verò in Scripturâ nota est textu tantum qui modò citatus est è libro Numerorum in quo regionis Chanaan meridianos limites describit Moyses, et textu libri Josue, in quo eorumdem limitum descriptio reperitur. Et in hebraicis litteris illorum duorum textuum, apparet nomen Asemona nomini Hesmona dissimile esse. Israelitis videtur ad fines terræ Chanaan non redisse nisi postquam ad Cades rursus redierant. Non potuissent enim ad fines terræ Chanaan reverti quin à Chanaanis permittissent novam aggressionem; et ex egressu de Cades-Barne illos à Chanaanis invasos tantum videmus, cum Cades redierunt in solitudine Tsân, Hesmona locum vigesimæ sextæ stationis Israelitarum putamus in Arabiâ fuisse, forsân ad meridiem Methca.

27. Moseroth. — Profecti Israelitæ de Hesmonâ, venerunt in Moseroth. Illic aliquid controversiæ surgit de loco vigesimæ et septimæ mansionis: dicitur in Numeris quòd Israelitæ profecti de Hesmonâ venerunt in Moseroth, et de Moseroth castrametati sunt in Benejaacan, profectique de Benejaacan venerunt in montem Gadgad, unde profecti castrametati sunt in Jethabath. Sed in Deuteronomio, secundùm hebraicum, Septuaginta et Vulgatam, dicuntur moyses castra ex Berothi filiorum Jacan in Mosera, inde venisse in Gadgad, de quo loco profecti castrametati sunt in Jethabath. « Non immeritò, ait D. Calmet, suspicamur in alterutro ex his textibus transpositionem aliquam unius vocule irrepisse, » et alibi: « Frustra commentatores res torquentur discrimen illud conciliaturi; alii quidem stationes ejusdem nominis duas distinguunt, alii plurima nomina uni eidemque conciliant. Multò sincerius, meâ sententiâ, fatendum transpositionem hic vocule obrepisse, ut amanuensium mendo positus sit Berothi Benejaacan ante Mosera, cum hic posterior locus illi præponendus esset. Rei natura postulat ut eum teneamus stationem et ordinem quem Moyses datâ operâ digessit in libro Numerorum, potius quàm hunc in alieno loco incidentem, ubi modica tantum pars stationum indicatur. Samaritanus scribit in eam libro Numerorum; verùm Septuaginta et Vulgata Berothi filiorum Jacan præponunt Moseroth, ut legit hebraeus. » (Comment. in Deuteronomio. v. 6.) Supponit ergo D. Calmet

venisse Israelitas de Hesmonâ Moseroth, et de Moseroth Berothi-Benejaacan, ut indicat liber Numerorum. Præquam textum Samaritanum evolvissemus hic memoratum à D. Calmet, propensius eramus ad præponendam iter assignatum per hebraicum textum Deuteronomii itinerario; sed videbitur modò aliam difficultatem in eo textu inveniri quâ immunis est textus samaritanus, ita ut, omnibus perpensis, præferendam credamus viam indicatam per textum samaritanum in Deuteronomio, quæ planè consentanea est cum narratione libri Numerorum. Moseroth ergo erit vigesimæ et septimæ mansionis locus.

Hic locus nominatur Mosera in textu hebraeo Deuteronomii, ibique Aaron mortuum ac sepultum esse dicitur: In Mosera, ubi Aaron mortuus ac sepultus est (Deut. 10, 6). Attamen in alio ejusdem libri loco et in duobus Numerorum locis affirmat Moyses mortuum esse Aaron in monte Hor. Ut hæc conciliet, D. Calmet dicit: « Fortasse castra habita fuere in loco Mosera appellato et monti Hor subjecto. » Non tamen in eo quod describimus itinere Aaron decessit, sed potius in reditu, cum scilicet hebraei iterum eandem stationem Moseram tenuerunt, seu potius cum in eadem regione Moseroth mensi sunt castra: verisimillimum enim est in hæc statione non adeò ad montem Hor accessisse. Occurrit urbs Massara circa Petram in Arabiâ; nec incommodè gruè confunditur cum Moseroth vel Mosera; ponimus autem cum plerisque interpretibus Moseroth et Mosera vel unum omnino, vel duo fuisse loca propinqua. » Indicabunt sequentia montem Hor, ad cujus radices locat D. Calmet Moseroth vel Mosera, non longè distare à Cades-Barne, quam urbem contra Petram statuit Eusebius, et collocandum esse ad meridiem occidentalem Cades.

Sed redivisus Israelitarum ad Moseroth nullis nititur argumentis: certum est solummodò, Aaron non in primâ mansionem Moseroth obiisse, sed tantummodò in statione ad montem Hor. Textus samaritanus non modò duo loca distinguit, nihil inter ea commune indicando, sed etiam demonstrat quâ ratione amanuensium in unum contulerint quod pertinebat alteri: hoc ergo samaritanus scribit in Deuteronomio: « Profecti sunt filii Israel Moseroth et castrametati sunt ad Benejaacan: inde exeuntes castrametati sunt Gadgad: inde exeuntes castrametati sunt Jethabath, quæ est terra validium cum aquis: inde exeuntes castrametati sunt Hebron: inde exeuntes castrametati

sunt Asiongaber: inde exeuntes castrametati sunt in deserto Sin: inde exeuntes castrametati sunt ad Cades: inde exeuntes castrametati sunt ad montem Hor; et ibi mortuus est Aaron, et Eleazar, filius ejus, pro eo in sacro doti munus successit. » Illud perfectè consentaneum esse videtur cum narratione Numerorum. Non hebraeus Deuteronomii expressè asserit mortuum esse Aaron Mosera, sed ut samaritanus dicit: Aaron ibi mortuus est; hoc adverbium, ibi, necessariò se refert ad locum ante citatum; sed si per errorem scriba illud alio loco translatum apponit, æquè huic loco referendum erit, et Aaronis obitum omni alii loco assignabit quàm decesserit. Multis nititur argumentis sententia, quòd per simile mendum in hebraeo Deuteronomii collocetur mors Aaronis Mosera in capite decimo, cum in tricesimo et secundo ejusdem libri, Moyses iteret Aaronem mortuum esse in monte Hor. Reinquamus ergo Aaronem in monte Hor mortuum, nec laboremus ut huic monti approximetur Moseroth, quæ statio solummodò querenda est in viâ quæ ducere potest ex Cades, sito in finibus Chanaan, usque ad Asiongaber, ad oras sinus Elyptici, id est, è septentrione ad meridiem.

28. Berothi-Bene-Jaacan. — De Moseroth castrametati sunt Israelitæ Bene-Jaacan: hoc nomine significantur Filii Jaacan, et in textu hebraeo Deuteronomii nominatur Berothi-Bene-Jaacan, Putci filiorum Jaacan, in Vulgatâ Berothi-Filiorum-Jaacan; hic ergo locus vigesimæ et octavæ mansionis fuit: poterat poni ad meridiem Moseroth: hunc etiam situm ei assignat D. Calmet. Vox Berothi non legitur in libro Numerorum.

29. Mons Gadgad. — Profecti è Berothi-Bene-Jaacan Israelitæ venerunt in montem Gadgad vel Gadgad quæ vicesima et nona fuit statio (Num. 35, 51, 52. Deut. 10, 7). « Certus situs hujus montis, ait D. Calmet, ignoratur. Hebraeus nostre ætatis legit, ad vallum Gadgad; verum Septuaginta, uti et Vulgata, legunt, montem Gadgad. Levissimâ in hebraeis litteris differentia discrepant hæc variae lectiones. Origines habet Galgat. Eusebius tantum poni dicit Gadgad in deserto: eandem possidisse videtur Gadgadum cum Jethabath, cum scribit locum esse rignum aquarum torrentibus quæ propria sunt Jethabath, stationis statim post Gadgad succedentis, apud Moysen. » Supponit D. Calmet Gadgad positum fuisse ad meridiem Moseroth, id est, in viâ quæ ducet è Moseroth ad Asiongaber: Gadgad sic appellatur

in libro Numerorum. Legitur Gadgada in hebraeo Deuteronomio.

50. Jetebatha. — Israelite egressi de Gadgad castrametati sunt in Jetebatha, tricesima statione. Idemne locus, inquit D. Calmet, ac Sela palera Concupiscentiae? Je-taabatha, de hoc loco nihil scimus aliud, quam quod uberi aquarum venâ dives fluxerit. Sed in Hebraeo Je-taabatha, significans tumuli concupiscentiae, differt non solum à Jetebatha, sed et ab Kibrot-Hatthava, quod significat sepulera concupiscentiae; et D. Calmet ipse distinguit in sua chartâ Jetebatha à sepulcris concupiscentiae; collocat Jetebatha ad meridiem Gadgad, versus iter ad Asiongaber.

51. Hebrona. — Et de Jetebatha venerunt in Hebrona Israelite; tricesimam et unam stationem (Num. xxxiii, 34). In cognitus nobis locus, ait D. Calmet; praesumi tantum potest situm fuisse in meridie Jetebathae, et in septentrione Asiongaber: hunc ei assignat situm D. Calmet.

52. Asiongaber. — Egressive de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber Israelite: tricesima et secunda statio est (Num. xxxiii, v. 55). E re tunc censemus, ait D. Calmet, si statuatur situs hujus loci ejus mentio saepe occurrit in Scripturâ, ut scilicet ea quae hic dicturi sumus valeant pro reliquis textibus idem nomen referentibus. Aperte nimis Scriptura constituit Asiongaber in Idumaea et ad mare Rubrum, ut eâ planè invitâ alibi quaeratur. *Classim fecit rex Salomon in Asiongaber, quae est juxta Ailath (aut Elath), in littore maris Rubri, in terra Idumaea* (Reg. ix, 25). Eusebio et S. Hieronymo urbs est Elath mari Rubro proxima, quam ætate sua appellatam ferunt *Asiam* vel *Esiam*. Affirmat Josephus Asiongaber ætate sua Barenicem appellatam fuisse urbem Elanae satis proximam. Celario contraria omnia probantur ratio, urbem Barenicem, de qua Mela, aliam esse planè ab eâ quam Josephus ab Asiongaber non distinguit, atque Asiongaber jactuisse ad situm Elaniticum, cum vicissim Barenice Mela ad situm Hieropolitanaum Ægyptum versus, id est, ad litus occidentale ejusdem sinus pertinere. Haec sententia nobis præ ceteris probatur; reputamus enim Israelitas moventes ex Hebrona venisse in Elath vel Elan, tum Asiongaber, urbem facili ad extremam oram sinus Elanitici. Elath hujusmodi non meminit Moyses, sed defectum supplet in Deuteronomio, his verbis: *Per viam campestram de Elat et de*

Asiongaber venimus ad iter quod ducit ad desertum Moab (Deut. ii, 8). Haec à D. Calmet expressa sunt: sed non nobis manifestum est hanc textum Deuteronomii certum facere quod Israelite commemorati fuissent in Elat ut in Asiongaber. Satis manifestat connexio hujus textus cum præcedentibus et sequentibus, Moysen sermonem habuisse non de eo quod contigit Hebraeis cum venerint de Moseroth ad Asiongaber, sed de eo quod evenit eis reversis ab Asiongaber ad Cades: siquidem coacti sunt rursus inire iter quod ducebat ad mare Rubrum, id est, quod eos revehebat in Asiongaber, et circumire terram Edom per viam camporum Edom et Asiongaber, ut veniret deinde ad iter quod ducit ad desertum Moab: *Per viam campestram de Elat et Asiongaber venimus ad iter quod ducit ad desertum Moab*. Ceterum, sententiam D. Calmet comprobamus, quâ Elat et Asiongaber dantur sita in sinu Elanitico, et posse Asiongaber jacere in orâ septentrionali hujusce sinus, id est, in 20° gradu 12' latitudinis, et in 52° gradu 5' longitudinis.

53. Cades, in deserto Tsin. — Profecti de Asiongaber, Israelite venerunt in desertum Tsin, id est, Cades, tricesimam et tertiam stationem. Jam monuimus illud desertum Tsin, longè aliud esse ac desertum Sin in mari Rubro situm. Demonstrare enim conati sumus, ait D. Calmet, Cades et Cades-Barne sive unum esse eundemque locum, sive jactuisse ambo in deserto Tsin. Nunc autem secundo venerunt Israelite in Cades, sed non eundem ac prius locum castris metandis elegerunt. Primo enim adventu diuturnam traxerunt in Cades-Barne moram, nullam aquarum penuriam experti; secundo verò, aquarum penuriam coacti, abierunt in murmur, et Moyses aquas expressit ex silice. Est autem hic statio ad aquas Contractæ. Ibi pariter Maria, soror Moysis, diem clausit, ac Moyses, per legatos suos à regè Idumaea transitum postulavit, et passus est repulsam.)

Ille memorandum est quod D. Calmet asserit, ut probet Cades idem esse ac Cades-Barne, aut saltem duos locos vicinissimos esse. Illud commentarium speat ad id quod dictum est in libro Numerorum, capite xii, versu 27, duodecim scilicet legatos missos ad explorandam terram Chanaan, reversos esse ad Moysen et Aaron et omnem caetum filiorum Israel in deserto Pharan, quod est in Cades. Jam supra, v. 22, animadvertimus, inquit, exploratores Israelis perecurrisse totam Chanaanitidem à deserto

Tsin usque Robob, extremam oram septentrionalem hujus provinciae. Ille autem regressus eorum describitur: redeunt enim in Cades, in desertum Pharan. Statuendum est igitur Cades vel propius accessisse ad desertum Tsin, vel in eodem deserto consedissee, et Cades hoc loco unum esse idemque ac Cades-Barne; certò enim constat exploratores profectos esse à Cades-Barne inspecturos terram Chanaanitidis, nec Moysen absentibus illis castra sua movisse. Denique ipse Moyses tradite substituisse adhuc diutius in Cades-Barne. Sed non hic unicus textus Cades et Cades-Barne aut synonymum ponit. Idem pariter et in Genesi licet animadvertere: nec sanè nobis quidquam affirmari posse de Cades, quod non item et de Cades-Barne, videatur. Nomen loci, situs et reliqua omnia congruunt utriusque; quare pro una eademque urbe accipiendæ sunt. Cades et Cades-Barne urbes sunt in finibus Idumaea et Chanaanitidis, proxima utraque Senae, vel Tsin et montibus Hor, Arad, Horme, secus viam à mari Rubro ad Hebronem, et ex Hebrone vel è regione Chanaan ad mare Rubrum. Cum Moyses et Josue describant limites meridionales Terræ Promissionis, indicant desertum Tsin, ubi urbs Sina et urbs Cades-Barne, Adar et Hasar (sen Hesron); nihil autem habent de alterâ Cades quæ à primâ differat: vero igitur simillimum uniceam agnoscì in Scripturâ urbem Cades vel Cades-Barne, adscriptam modo deserto Pharan, modo deserto Tsin, quod scilicet in alterutro ex his desertis ita consideret, ut proxima alteri quoque accederet. Hanc opinionem, quæ unicam tantum agnoscit urbem Cades, asserunt suffragatores labuisse Eusebium, S. Hieronymum, doctosque alios scriptores commentariorum quamplurimos.

Qui duas urbes distinguunt Cades et Cades-Barne, opinioni suæ fidem potissimum ex eo conciliant, quod in Cades murmur sublatum est populi, aquarum penuriam laborantis, cum vicissim in Cades-Barne necessaria omnia suppeterent: sed quid mirum, si in duobus diversis deserti ejusdem nominis locis, hic quidem desint aquae, ibi verò abundant? Sic disserit D. Calmet.

Nos verò putamus Cades in deserto Tsin diversam esse potuisse quam Cades-Barne, vel Cades in deserto Pharan; sed vicinitate approximari magnâ hæc loca censemus, posseque etiam unum esse eundemque locum, cujus una pars producebatur in deserto Tsin, altera

pars in desertum Pharan, et vocabatur Cades-Barne; novo etiam argumento contenderetur Cades deserti Tsin proximam esse Cades-Barne: reverâ, cum venerint Israelite in Cades, in deserto Tsin, et inde progressi sint ad montem Hor, rex Arad, qui ad meridiem incolebat Chanaanitidem, eos aggressus est, ex eo quod certus factus erat Israel venisse per exploratorum viam. Atqui, quomodo Israelite venerant per viam exploratorum? Sine dubio, venientes à Cades ad desertum Tsin, eandem viam arripuerant quam secuti fuerant duodecim exploratores, cum profecti è Cades-Barne; ingressi fuerant Chanaanitidem per desertum Tsin. Septuaginta, fateor, legerrunt Israel venisse per viam Atharim, inquit D. Calmet hanc lectionem præponit cæteris; sed pro Atharim legit auctor Vulgate Tharim, quod hebraicè significat exploratores: nihil acceptiorem esse jubet lectionem Septuaginta, quæ nomen loci profecti omnino ignoti, quam lectionem auctoris Vulgate, quæ sensum naturæ rei consentaneum offert, confirmatque aliis circumstantiis, ex quibus fuit demonstratio Cades in deserto Tsin appositam esse debuisse contra Cades-Barne. Buxtorf hie asserit hebraicum Atharim sumendum esse in sensu Tharim. Supponemus ergo Cades deserti Tsin jactuisse per 50° gradum 58' latitudinis, et 55° 45' longitudinis.

54. Mons Hor. — Cades erat in finibus Idumaea, ibique castrametati erant Israelite; cum Moyses misit ad regem Edom legatos qui transitum per terram ejus postularent. Non tantum rex postulatum recusavit, sed etiam cum potentis exercitus Israelitas invasit. Coacti ab ejus regione gradus avertere, Israelite egressi è Cades venerunt ad montem Hor, in quo tricesima et quarta mansio. Iter flexerunt ad meridiem, dicit D. Calmet, ut circumirent regionem Idumæorum sedes habentem ad extremam oram maris Mortui, et quorum regio porrigebatur ultra Petram, metropolim Arabiae Petraeae. Jam supra ex Eusebio didicimus Cades ad hanc urbem proximè accessisse. Chaldaeus, et Oukelos et Syriacus conceptis verbis exprimit Israelitas movisse castra à Rekem, quæ ipsa est Petra, ut ad montem Hor proficiscerentur. Igitur Cades consedissee necesse est in agro ejusdem urbis, sicut et eodem in loco continebatur mons Hor, si quæ fides Josepho; quod etiam confirmatur ex Eusebio, qui tradit monstrari adhuc juxta montem Hor silicem, unde Moyses aquarum venam eduxit. Habendus est igitur mons Hor

non tanquam unicus et singularis mons, sed tanquam plurium montium uno ductu catena; quemadmodum et persimilem seriem montium referunt Libanus, Antilibanus, Taurus, alique earum regionum celebratissimi. De nomine hujus montis fortasse appellati sunt Horraei, de quibus in Genesi. Ager huic monti adjacens, in quo conserderunt Israelite, appellabatur Mosera vel Moseroth, ut in Deuteronomio. Alibi addit D. Calmet: « Hunc montem constitutum oportet in Idumæa, ibi circiter unde patet transitus ex Arabiâ vel Idumæa in Chanaanitidem. »

Nobis autem maxime dubium esse videtur an constituendus sit mons Hor intra regionem que Idumæa vel terra Edom vocabatur, siquidem Moyses monet verbis disertis Israelitas, cum venerint in urbem Cades, imminente ipsis exercitu regis Edom, ab ejus finibus divertisse, ut venirent in montem Hor: nec dubium est scriptum esse in capite 20 libri Numerorum: *In montem Hor, qui est in finibus terre Edom.* Idem vulgata in versiculo 22, et hebræus in versiculo 25, certum faciunt; fatemur eisdem verbis inscribi in capite 33: *In monte Hor, in finibus terre Edom;* sed fines terre pro regionis medio assumi non licet: Hor erat in finibus Edom, ut Cades, sed non ad regem Edom pertinebat. Animadverti etiam potest nomen Horreorum, quod memorat Genesis, alio modo hebraicè scribi quam nomen montis Hor. Nobis ergo probatur montem Hor in Arabiâ, non in Idumæa stetisse, sed fatebimur eum potuisse ad meridiem Cades collocari.

Sic reversis ad Moseram vel Moseroth in radicibus montis Hor Israelitis, tunc Aaron in hoc monte mortuus est, ANNO QUADRAGESIMO EGRESSIONIS FILIORUM ISRAEL EX ÆGYPTO, MENSE QUINTO, PRIMA DIE MENSIS. Tunc etiam regem Arad, qui incolebat meridiem terre Chanaan, aggressorem, oppresserunt.

55. Salmona. — Egressi Israelite de monte Hor, viam secuti sunt que ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom; per viam campestrum Elat et Asiongaber incesserunt, ut hinc peterent iter quod ducit ad desertum Moab; per hanc viam progressi, primo venerunt monte Hor ad Salmonam, in trigessimam et quintam stationem. « Jussi à Deo Israelite, ait D. Calmet, ut absternerent ab Idumæis, exacti sunt iter relegere per viam que ad mare Rubrum, id est, ad Asiongaber, unde paulo ante moverant, ducit, et cursu ambire regionem Edom et Moabiturum... Creditur Deus in Salmonâ im-

missis angibus ultionem suam in populum exercuisse. » Sed alio loco D. Calmet scripsit: « Porro è monte Hor proficiscentes, substituerunt Salmona, deinde in Phunon, ubi consistendum credimus et murmur et serpentum venenatos morsus. » Phunon locus fuit sequentis mansionis, et quod scimus de immisione serpentum adversus Israelitas, ad id tantum redigitur, scilicet: ex Moysi narratione, hæc plaga intersita est stationi montis Hor, que est trigesima et quarta, et stationi Oboth, que trigesima et septima est. Salmona sita esse poterat ad orientem montis Hor. D. Calmet eam ad Euronotum collocat.

56. Phunon. — Venerunt ergo Israelite de Salmonâ Phunon, in trigessimam et sextam mansionem. « Phunon, ait D. Calmet, alio nomine Phenon, Phinon, vel Fana, vel Metallofenon, locus est in Idumæa celebris, situs inter urbes Petram et Zegor, vel Zoaram, quo ad fodinas damnatos fuisse martyres quosdam memorat proditum est. Phenon est Eusebio 15,000 passuum à Dedan meridiem versus; et facile autem nomen Phunon loco inditum est: ex Phinon uno ex principibus Idumææ, de quo Genesis. » Nec immerito dicitur Phinon vel Phunon in Idumæa sita esse, si supponatur Idumæa spatari usque ad Asiongaber, ut videtur producta tempore Salomonis; sed tunc oportebit ut supponatur Israelitarum per Idumæam transgressio, dum satis conceptis verbis Moyses asserit hos declinasse ab itinere suo, et circumvisive, id est, juxta fines Idumæarum viam tenuisse, ut circumirent terram Edom. Phunon ergo tunc temporis non inclusam in Idumæa apparet, sed tantum finitimam fuisse Idumææ. D. Calmet ad ortum Salmonæ ponit Phunon.

57. Oboth. — De Phunon Israelite castrametati sunt Oboth, que est trigesima et septima mansio. « Est Oboth, ait D. Calmet, locus non veteribus ignotus, de quo Stephanus: *ὄβωθ, ἡ πόλις Ναβαθηραίων.* Oboda, statio Nabathæorum. » Colebatur ibi Deus Obodas, vetus provincie rex inter nomina consecratus, cui et Dusarem, alterum regem ejusdem loci jungit Tertullianus. Meminit etiam Plinius urbis Eboth de in Arabiâ, quam Helmodæis tribuit. D. Calmet locat Oboth ad orientem Phunon.

58. Je-Abarim. — Egressi Israelite de Oboth fixere tentoria in Je-Abarim, in trigessimam et octavam mansionem. « Vocem eam Je-Abarim, ait Calmet, exponunt interpretes: alii quidem: « *Vada transituum vel transeuntium;* alii, Angu-

stia Abarim, vel Camuli Abarim. Prima versio ex eo adstruitur, quod Je-Abarim adiaceret torrenti Zared. Quare commodè accipitur de vado, unde torrentem Israelite trajecere. Sed opinionem exponenti de angustiis vel de cumulis montium Abarim illud repugnat, quod inter stationem Je-Abarim et montes de quibus agit, Moyses constituit stationes torrentis Zared Mathanae, Nahorbielis, Bamoth Arnon, Dibongad et Helmondeblathaim; que loca longè nimis removent Je-Abarim à montibus Abarim, nisi latissime porriganus montes illos per totum latus orientale Moabitidis, et quod æquissimè in re presentem censetur. Nam Eusebio et S. Hieronymo est statio Gai vel Hai eadem ac Jee, propè urbem Petram, in Arabiâ. Afirmat autem Moyses orientalem fuisse regionem Moab: *In solitudine, que respicit Moab contra orientalem plagam* (aut ex hebræo *ab ortu solis*) infraque Moyses dicit *esse in finibus Moabiturum.* Reputaverim ego quidem, pergit D. Calmet, Je vel Jee eandem esse urbem ac Gai vel Hai, de qua Jeremias, qui constituit illam videtur in regione Moab: *Utula, Hesebon, quoniam vastata est Hai.* « Incertissimum esse ducimus, urbem Gaiam propè Petram, de qua loquitur Eusebius, eundem esse locum ac Je-Abarim. Cum de situ Cades-Barne meminimus, diximus ab ipso D. Calmet asseri Petram adiacere proximis Cades-Barne, id est, ad occidentum Idumææ, dum ad ortum stare debuit Je-Abarim, habens ad meridiem stationem Oboth, ad septentrionem torrentem Zared. Quod D. Calmet supponit, textum Moysis invocando, hanc scilicet mansionem facere ad orientem Moabitidis, infra discutiendum erit.

59. Dibongad. — De Je-Abarim Israelite castrametati sunt ad Dibongad, in trigessimam et nonam mansionem, et Dibongad proxima esse debuit torrenti Zared. Illud facillimè cognoscitur ex collatione textus capitis 55 libri Numerorum, versiculo 45: *Profectique de Je-Abarim fixere tentoria in Dibongad,* cum textu capitis 21, versiculo 12: *Indè* (scilicet de Je-Abarim) *profecti, fixere tentoria ad torrentem Zared, seu in valle Zared.* « Torrentis hujus, ait D. Calmet, fontes sunt in montibus ad orientem Moabitidis; is vero fluens ex oriente in occidentem devolvitur in mare Mortuum. Torrentem hunc transvadaverunt Israelite triginta et octo annis post murmur in Cades-Barne, ut Moyses in Deuteronomio animadvertit: *Tempus autem quo ambulavimus de Cades-Barne usque ad transitum torrentis Zared triginta et octo annorum fuit.* »

D. Calmet supponit Moabitas sedem habere ad meridiem torrentis Arnon, et Israelitas per fines orientales eorum incesisse. Apparet contra Moabitas habitasse ad orientem torrentis Arnon, Israelitasque transitum peragrasse per fines occidentales hujusque regionis. Tunc fontes torrentis Zared reperias ad occidentum Moabitidis. Hoc in ipso loco positos Moabitas refert D. Calmet in chartâ geographicâ Terræ Promissionis. Ultra perpendimus quod spectat ad situm Moabiturum.

Distinguit D. Calmet mansionem ad torrentem Zared à mansione Dibongad de qua sic meminit: « *Dibongad sæpe et Dibon appellatur.* » Facile nominis illius Dibongad accessio facta est, quum Israelite in regionem venerunt. « Veteribus ac recentiorum pluribus succurrit ut *Dibon à Dibongad distinguerent, sed discriminis hujus nullam sententiam necessitatem.* » Collocandum Dibongad censemus ad Arnon, « ubi et Dibon ab Eusebio et S. Hieronymo constituitur: tum et inter duas hæc stationes, Je-Abarim et Dibongad, medias ponimus et stationes ad torrentem Zared, ad Mathaniam, et ad Nahaliel. Vide caput XXI versiculos 12, et 19, 28, ubi singula istæ seu castrametationes, seu variorum locorum ejus tractus nomina à Moyse recensentur: parum Dibon primò Moabitibus, dein armis subacta à Sehone, ex Sehone victoribus cessit Israelitis et tribu Ruben obligit. Tribuitur interdum Gaditis, idcirco fortasse quod utriusque tribus fines attingens, utriusque pariter incolis frequentaretur. Ita et postea Jerusalem accidit, que modò inter urbes Juda, modò inter Beniaminiticas numerata est. Tandem redit ad Moabitas, qui ætate prophetarum Isaie et Jeremie illam tenebant. » Hæc omnia optime aptanda esse censemus urbi Dibon, quam tamen non eandem esse asserimus ac Dibongad, qua: ultima à nobis ponitur ad torrentem Zared: expressis enim verbis Moyses hunc locum et situm commemoravit: *fixerunt tentoria ad torrentem Zared,* et nobis hæc statio videtur non posse alia esse quam statio Dibongad: *fixerunt tentoria ad Dibongad.*

40. Helmondeblathaim. — E Dibongad, Israelite castrametati sunt ad Helmondeblathaim, in quadragesimam mansionem, et Helmondeblathaim propior esse debuit torrenti Arnon in deserto. Hoc concluditur adhuc ex collatis textibus, tum cap. 25 libri Numerorum, versiculo 46: *Unde* (scilicet Dibongad) *egressi castrametati sunt in Helmondeblathaim,* tum capitis 21, versiculo 15,

in quo : Unde (scilicet de torrente Zared) egressi castrametati sunt ad transitum Arnon, qui est in deserto. Fontes habet torrentes Arnon, dicit D. Calmet, in montibus orientalibus Moabitidis et ex oriente ad occidentem fluentes, post separatas veteres regiones Moabitarum et Ammonitarum in mare Mortuum devolvitur, proximè ad ostia Jordanis in idem mare influentis. Potissimum videtur torrentem Arnon fontes dixisse ad occidentem Moabitarum, et primò ex septentrionali ad meridiem vergendo, se junxisse, ut Moyses asserit, Moabitas ab Amorrhæis; posteaque ex oriente in occidentem fluendo, finem fœderis regioni Amorrhæorum, quos à Madianitis dividet.

D. Calmet distinxisse videtur etiam mansionem torrentis Arnon à statione ad Helmondeblathaim, inserensque inter Dibongad et Helmondeblathaim locum dictum Bamoth-Arnon, de Helmondeblathaim hæc notat : « Urbis hujus Deblathaim, vel Beth-Deblathaim, ut in Jeremia appellata est, certus situs ignoratur. Sunt qui Helmon et Deblathaim in duo diversa loca distinguunt. Helmon nomen est fortè loci ubi castrametati sunt Israelitæ; et Deblathaim, urbs eidem loco proxima. Helmodenos constituit Plinius propè Ehodam, Oboth hæc appellatam, in Arabiâ Petræa. » Nobis autem videtur Helmondeblathaim fixum fuisse situm ad torrentem Arnon; directis enim verbis Moyses torrentem Arnon indicat ut unum è mansionum locis : *Israelitæ castrametati sunt ad transitum Arnon*, nec alia statio esse nobis apparet quàm statio Helmondeblathaim : *Castrametati sunt in Helmondeblathaim.*

Israelitarum mansio ad torrentem Arnon, in deserto locum habuit : *Castrametati sunt ad transitum Arnon qui est in deserto*; quod autem desertum apparet fuisse desertum Cademothi; illud enim memorat Moyses in Deuteronomio, dicens, quòd cum Hebræis præcepisset Deus, ut castrametarentur in alio loco, et torrentem Arnon superarent ad invadendam terram Amorrhæorum, Moyses legatos ad regem Amorrhæorum misit, qui transitum ab eo peterent in regionibus ejus, ex deserto Cademothi : Cademothi ergo desertum jacebat ad orientem torrentis Arnon, et potest animadverti hebraicè vocem ipsam Cademothi locum significare situm ad orientem. Statio ergo Helmondeblathaim in hoc deserto, propè torrentem Arnon, sita esse debuit ad hujus torrentis orientalem plagam.

Hæc datur locus illustrandi situs Moabitidis;

interpretationem notando sermonis quem memorat Jephthæ de peregrinatione Israelitarum à Cades usque ad torrentem Arnon. Hoc ergo Jephthæ legatis suis mandat Ammonitis exponendum : *Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon; sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad mare Rubrum, et venit ad Cades. Misitque nuntios ad regem Edom, dicens : Dimitte me, ut transeam per terram tuam; qui noluit acquiescere precibus ejus. Misit quoque ad regem Moab, qui et ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades, et circumiecit ex latere terram Edom et terram Moab, venitque contra orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon. Nec voluit intrare terminos Moab; Arnon quippe confinium est terræ Moab. Misit itaque Israel nuntios ad Sehon. Hebraicus textus ad litteram verti posset : *Et abiit Israel in desertum, et circumiecit terram Edom et terram Moab, et castrametatus est in transitu Arnon, et non ingressi sunt terminum Moab, Arnon, enim terminus est Moab.* Et misit Israel nuntios ad Sehon, etc. Quid inde? Dicesne Israelitas, post transgressum in finibus meridionalibus et orientalibus regionis Edom, deinde transitum expetivisse in finibus orientalibus terræ Moab, indeque ad plagam Arnon castrametatos esse? Illud veniunt Septuaginta et Vulgate versiones : *Veniunt contra orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon.* Quod sic D. Calmet et P. de Carrières traducunt : « Ils vinrent par le côté oriental du pays de Moab camper au delà de l'Arnon. » Sed tunc supponeretur Moabitibus ad meridiem torrentis Arnon spatium, et per consequentiam ad meridiem regni Sehon, quod deinde in potestatem tribus Ruben incidit, et reipsa hanc suppositionem admittit D. Calmet, in chartâ geographica Terræ Promissionis, in qua Moabitas ad orientem torrentis Arnon inscribit.*

Reverà, 1^o si Israelitæ transgressi fuissent orientales fines Moabitarum, ut castrametarentur propè torrentem Arnon, oporteret Moabitas ad meridiem hujus torrentis ita depressam terram habuisse, ut ad orientem nihil occupassent. 2^o Nullam ipsis fuisse oporteret communionem cum Ammonitis, qui ad orientem commorabantur, siquidem nondicuntur Israelitæ, ut transitum per terram Moab vitarent, transisse per terram Ammonitarum. 3^o Si Israelitæ supervassent fines Moab, quàm ad litus torrentis Arnon pervenerunt, cur addit Jephthæ : *Nec voluit intrare terminos Moab, Arnon quippe con-*

finium est terræ Moab? Si adjaceret terra Moab ad meridiem Arnon, ad quid tenderet hæc notitia : *Arnon quippe confinium est terræ Moab?* 4^o Ex descriptionibus nobis à Josue et Moysede Terræ Promissionis relictis, non immerito crederemus urbem Arer, in torrente Arnon sitam, confinium esse inter tribus Ruben ad meridiem, et Gad ad septentrionem, sique spatium dehisce ad orientem horum tribuum, et ad occidentem torrentis. Atqui Josue ponit Arer in conspectu Rabba, quæ ipsissima videtur ac civitas à S. Hieronymo appellata Babath-Moab, id est, urbs quam vocat Moyses Ar. Stabat ergo hæc civitas caput Moabitidis, ad orientem torrentis Arnon.

Videntur ergo Moabite incoluisse terram ad orientem torrentis Arnon, ad orientem regni Sehon, ad orientem tribus Ruben et tribus Gad, et id significabat forsitan Jephthæ per hæc voces : *Venit (Israel) ab ortu solis.* Illud incutit aliquam caliginem sermoni Jephthæ, quòd in unum cogat duo quæ tamen faciliè distincta esse poterunt; verbi gratia, uno tempore legatos asserit missos ab Israelitis et ad Idumæos et ad Moabitas, antequàm profectos ex Cades memoraret; atqui si constat anteriorem exitu à Cades fuisse legationem ad Idumæos, credendum etiam multa probant jam profectos Israelitas, quin nuntios miserunt ad Moabitas. Nec sanè mireris in hoc compendio Jephthæ non seriem factorum historica fidelitate narravisse. Item, asserit circumivisse Israelitas terram Edom et terram Moab, quasi immediatè à finibus Idumææ ingressi fuissent fines Moabitidis; fortè solummodo significare voluit, circumgressos primò terram Edom Israelitas, postea circumivisse Moabitidem, nec idèò conterminas regionem asseruit. Circumiverunt terram Idumæorum à Cades ad Jeabarim, locum situm in deserto quod jacet ante Moabitas, id est, ad meridiem Moabitarum. Deinde circumiverunt terram Moab à Jeabarim ad Helmondeblathaim, quæ sita erat in deserto Cademothi, ad orientem torrentis Arnon, ad occidentemque Moabitidis.

Utque omnis series harum perambulationum hic resumatur, animadvertens primò, Israelitas, quòd ex Asiongaber transissent in Cades, progressos esse ex meridie ad septentrionem, ut et indicat ipse Moyses : *Ite contra aquilonem*; deinde, aliquantisper in Cades commoratos, ad meridiem rursus gressus flexisse circum terram Edom procedentes : *mansit itaque Israel in Cades, et circumiecit terram Edom;*

postquam circumiverunt Idumæam, venerunt in Jeabarim, in conspectu Moabitidis, cujus à latere occidentales fines secuti sunt : *Et circumiecit ex latere terram Edom et terram Moab*; ex finibus Idumææ recedentes, progressi sunt ad orientem regionis quæ his postea cessit : *Et venit ab ortu solis ad terram Moab*; in Moabitides ergo conspectum progressi hujus fines à latere secuti sunt, et castrametati sunt in litore torrentis Arnon, ad orientalem plagam hujusce torrentis, et *castrametatus est in transitu Arnon.* Potuissent viam deflectere à vicino hujus torrentis, cujus ora orientalis adjacet solitudini; potuissent, inquam, in terras Moab penetrare, quæ stabant ad orientem hujus torrentis, sed nec voluit intrare terminos Moab. Appropinquaverunt ergo ad torrentem Arnon, ne introirent in terras Moab; Arnon quippe confinium est Moab; Moyses verbis expressis asserit unam è mansionibus eorum locum habuisse in finibus Moabitarum. Inde, ex eo quòd Jephthæ dixerit Israelitas non voluisse intrare terminos Moab, non concludendum est non etiam propè ad fines eos accessisse. *Castrametati sunt in finibus Moabitarum*, id est, non ultra fines ejus penetraverunt : *Non ingressi sunt terminum Moab.* Nec negamus, à textu Moysis stationem Jeabarim apponendam esse ad terminos Moab, *castrametati sunt in Jeabarim, in finibus Moabitarum*; nam textus hebræus sic se habet, et annotavimus jam supra mansionem Jeabarim ad meridiem torrentis Zared collocari. Forsan Moabitarum terra usque hæc spatiosior; sed forsàn etiam amaoniensis aliquis erravit, aptando stationi Jeabarim, quod stationi conveniebat Helmondeblathaim. Memoravimus stationem Helmondeblathaim jussere litibus Arnon, et per consequentiam, finibus Moab, in finibus Moabitarum; siquidem torrentis Arnon confinium erat terræ Moab, *Arnon enim est terminus Moab.*

Ex hoc occasionem assumimus revolvendi quod etiam dicit Moyses, scilicet, Israelitas castrametatos esse in Jeabarim, ab oriente sole, in deserto quòd jacet ante Moabitas. Hæc solitudo spatium potuit ad meridiem Moabitarum, in fronte regionis quam incolebat ille populus, ante faciem Moab, et simul ad orientem regionis postea Israelitarum ditioni subiecte, ab ortu solis.

Uno verbo, difficillimè crederem Moysen et Jephthæ significasse ab Israelitis proculatos fuisse terminos orientales Moabitarum, qui, ut autumo, commorabantur ad orientem torren-

tis Arnon : sed absque dubio, Israelite, cum fines meridionales Idumæe relinquere, ad torrentem Arnon viam perrecturi, latus orientale sequerentur regionis quam postea occupaverunt ; sicque statio Jeabarin quæ in hac viâ offendebatur, jacebat ad orientem terre quam deinceps sortiti sunt : *Ab ortu solis*. Patet ipsos, sic ab ortu solis progredientes, appropinquasse ad terras Moab, quas ad orientem regionis quæ postea fuit Israelitarum, spatiatas esse apparere.

41. Montes Abarim. — Egressi Israelite de Helmondeblathaim, quem locum autumamus in deserto Cademoth situm, ad orientem torrentis Arnon et in finibus Moab, castrametati sunt in montibus Abarim, in conspectu Nabo, quæ est quadragesima et una mansio. Hoc nos docet vigesimum et tertium capitulum libri Numerorum. Sed eorum iter narratio non ampliori in capite XXI explanatur. Leguntur Israelite, egressi è loco ubi castrametati fuerant ad torrentem Arnon, venisse in locum qui vocatur Beer, id est, puteus, propter puteum quem Deus Israelitis aquam hausuris indicaverat. Moyses memorat hanc putei inventionem celebratam fuisse ab Israelitis in cantico cui insunt hæc verba : *Puteus quem foderunt principes et paraverunt* (hebraicè *aperuerunt*) *duces multitudinis*. Ex hoc inducitur ad credendum hunc locum ipissimum esse ac locum postea vocatum Beer-Elim, id est, Puteum Principum, quem tenebant Moabite, in tempore Isaie. Locus ille jacere potuit ad septentrionem Helmondeblathaim et ad orientem torrentis Arnon, in deserto Cademoth ; Moyses enim statim addit : *Et de solitudine Matthana*. Hæc solitudo, ut videtur, eadem erat ac desertum in quo castrametati fuerant ad Arnon, id est, desertum Cademoth, nec verisimili repugnat Israelitas in Matthana venientes superavisse torrentem Arnon, siquidem excesserunt è solitudine quæ spatari debebat ad orientem hujus torrentis. Eusebius ponit Matthana in Arnon ad duodecim millia à Medabâ, vergendo ad orientem ; suo tempore vocatam dicit *Maschana*. Ex Matthana seu Maschanâ, Israelite venerunt in *Nahalded*, quæ et sita erat, si fides Eusebio, in torrente Arnon ; annotari etiam potest significatio vocis *Nahaliel*, hebraicè indicantis, *torrentem Dei*, seu *torrentem vehementissimum, fortissimum*. Ex Nahaliel, venerunt ad Bamoth, qui idem esse videtur ac *Bamoth Arnon*, seu *Baal-Bamoth-Arnon*, quæ Moabitis crepta est à Sehone, rege Amorrhæorum, et quæ ipissima etiam videtur ac Bamoth-Baal

quam sortita est tribus Ruben. Eusebius memorat, ut et S. Hieronymus, Bamoth urbem esse Amorrhæorum in Arnon sitam, quæ capta ab Israelitis deditaque tribui Ruben fuit. Apparet ergo Israelitas, superato torrente Arnon, iter perrexisse secundum ejus latus ex meridie ad septentrionem progressos, vicissim perlustratis urbibus Matthana, Nahaliel et Bamoth.

Ex Bamoth Israelite *venerunt in vallem quæ est in campo Moab in vertice Phasge, quæ respicit contra desertum* (vel contra *Jesimon*). Nomen illud Phasge videtur esse inditum vertici summo montis Nebo, ut concluditur ex Deuteronomii verbis : *Ascendit Moyses supra montem Nebo, in verticem Phasge*. In hoc ergo loco, quem assecuti erant, castrametati sunt Israelite in facie Nebo, quæ urbs ad radices montis Nebo edificata est, in montibus Abarim. Dicitur hæc vallis respiciens ad *Jesimon*, seu contra *Jesimon* tendens. Hebraicè *Jesimon solitudinis* sensum secum fert ; eundem ac *Jesimoth* aut *Beth-Jesimoth*, de quâ sermo erit in statione sequente, et quæ ad occidentem meridionalem Phasge subjacere debuit, locum credimus esse *Jesimon*. Hæc vallis in campo Moab numeratur, id est, inerat vallis agro quem tenebant Moabite, priusquam regio in ditionem venisset Amorrhæorum.

Sed, ut animadvertit D. Calmet, nonnisi debellato Sehone Israelite castrametati sunt ad radices Abarim montis. Credibile ergo est Israelitas è Bamoth prope Arnon in conspectu habuisse Sehon, regem Amorrhæorum qui obviam processit eis cum populo suo usque ad Jasoc. Quam urbem Eusebius sitam meminit inter Medaba et Debus vel Dibon. Illic pugnatum est ab Amorrhæis et Israelitis ; Sehon afflictus est, ejusque regnum ab Israelitis captum. Videtur post felicem expeditionem Hebræi castrametati esse ad montem Abarim ; ut enim in narratione Moysis rectè viâ de Bamoth ad radices montis Phasge procedunt, ibi castra possidere rectè creduntur, priusquam prodirent in regionem Basan, quam ipsis tradidit Deus, victoriam impertiendo in Og, hujus regionis regem.

Observandum hic est, in capite vigesimo et primo Numerorum, Moysen remisisse legationis hebrææ ad Sehonen mentionem post descriptionem itineris eorum ad radices Phasge. Ut verò Phasga erat trans torrentem Arnon, in ipsâ Sehonis terrâ, inde fit ut legatio Israelitarum præcessisse debuit eorum ad radices montis Phasge adventum, Moysenque distulisse quid narrandum haberet de hæc lega-

tionem, ne itinerarium Israelitarum interrumpere.

42. Campi Moab. — De monte Abarim, Israelite castrametati sunt in campis Moab, quæ juxta Jordanem spatiantur, in conspectu Jericho, à Bethjesimoth usque ad Abel-Sarim, et hæc fuit quadragesima et secunda mansio, ultimaque. Hos agros appellat, ait D. Calmet, Scriptura campestris Moab, non ideirò scilicet quod Moabitis parcerent, sed quod è Moabitis, prisca domini, ad se derivasset Sehon, atque ex Sehon recepissent Israelite. Spatiabantur illi campi à Bethsimoth, secundum Vulgatam, à Bethjesimoth, secundum Hebræum, usque ad Abel-Sarim. Suâ adhuc ætate maussisse affirmat Eusebius oppidum, nomine *Isimut*, ad meridiem, et è regione Jerichumitis, ex quâ urbe decem millia passuum distabat, ad mare Mortuum. Jacebat Isimus, vel Bethsimoth, vel Bethjesimoth, uti appellatur à Josue et Ezechiele, ad lavam, id est, ad merididum castrorum israeliticorum ; quare et Settium ad dexteram constituta est. Quem nominans locum Abel-Sarim alibi vocant *Setim* vel *Satim*. Hebraicè Abel-Satim significat *Luctum Setim*, et D. Calmet hujus vocabuli inditi causam fortasse inveniendam in strage viginti et quatuor millium hominum, quum Israelite Beelphegor adoraverint, ibi patratâ. In his campis, ultima verba Moyses Israelitis concinit ; ex his campis Hebræi, imperante Josue Jordanem superaverunt. Jacere debent intra 32^m gradum latitudinis, et 55^m longitudinis.

Sic, ut compendium fiat itinerarii Israelitarum à Ramesse ad campos Moab, dici potest : — 1-2-3-4-5. — Egressi de Ramesse (intra 49^m long. et 50^m lat.) ierunt in solitudinem Sur (intra 51^m long. 29^m et 58^m lat.) — 5-6-7-8-9. — Egressi de solitudine Sur, descenderunt ad Daphca (51^m 12^m long., 28^m 33^m lat.) — 9-10-11-12. — Egressi de Daphcâ, ierunt in montem Sinai (51^m 47^m long., 28^m 28^m lat.) — 12-15. — Egressi è monte Sinai ierunt in solitudinem Pharan (inter 52^m et 55^m long. et 50^m et 51 lat.)

— 15-14-13. — Egressi è solitudine Pharan, ierunt in Cades-Barne (ad 55^m long. supra 51^m lat.)

— 15-16-17-18-19-20. — Egressi de Cades-Barne, descenderunt in montem Sepher (ad 52^m long., 50^m 45^m lat.)

— 21-22-23-24-25-26-27. — Egressi de Cades-Barne ierunt in Moseroth (52^m 50^m long., 50^m 25^m lat.) percurrentes 62^m ad 53^m gradum long. et 55^m ad 52^m id. et 50^m 10^m lat.)

— 27-28-29. — Egressi de Moseroth ierunt in montem Gadgad (intra 52^m et 53^m long. in 50^m lat.)

— 50-51-52. Egressi de monte Gadgad ierunt in Ailath (52^m 15^m long. in 30^m 20^m lat.). deinde in Asiongaber (52^m 55^m long. 28^m 42^m lat.)

— 52-53-54. — Egressi de Asiongaber ierunt ad 55^m gradum longitudinis, 50^m gradum 35^m latitudinis, hincque ad montem Hor (55^m 50^m long. 50^m 20^m lat.)

— 55-56-57-58-59-60-61-62. — Ezorti de monte Hor, ultra 54^m gradum longitudinis excedentes in 54^m gradum reversi sunt per 51^m 35^m latitudinis ; invadunt denique campos Moab sitos intra 55^m et 54^m gradus longitudinis et 52^m gradum latitudinis paucis superantes.

Si nunc hujus itinerarii spatium metiri velis, gradum unicuique viginti et quinque locas attribuendo, ut vulgò in Galliâ numeratur, invenies :

1 ^o A Ramesse ad Sinai, — circiter	90 — leucas.
2 ^o A Sinai ad Cades-Barne, — circiter	90
3 ^o A Cades-Barne, multis flexibus et inflexibus contortis, ad Asiongaber. — circiter	160
4 ^o Ab Asiongaber ad desertum Sin, — circiter	70
5 ^o A deserto Sin ad campestris Moab, — circiter	50
In summa peragravere — circiter	400 — leucas.
(Ex Bibl. de Venice.)	